

rum. Placuit nobis haec typographica insignia describendi commoda ratio ; sed quis est qui non intelligat , meliorem harum rerum notitiam ex figuris ipsis coram repraesentatis, quam ex nudo indice sine figuris, hauriri posse ? Figurae vero, quas ORLANDVS, praeter nominatum modo indicem, lectoribus suis proposuit , paucae admodum sunt, neque titulum thesauri tueri possunt , qui Roth- Scholtzianae collectioni recte praeponitur. Imo diversum longe institutum dici meretur , quod tantum primorum artificum specimina, ab eo, quod signa librarium, ubicunque terrarum & quo tempore vixerint, exhibere debet. In primorum typographorum notis delineandis ORLANDVS substituit. Tu, Vir Amicissime, plus ultra progrederis , & per omnem, qua patet, hunc campum exspatiaris. Jam non amplius opus est catalogo BAILLETI , in quo auctor hic signa bibliopolarum & typographorum, laudabili alioquin opera, usque ad medium saeculum XVII. sed absque picturis, recensuit. MICHAELIS vero ROETENBECCIL, Medici Norimbergensis, labor, quem ante hos centum annos colligendis & calamo delineandis librariorum veterum insignibus impendit, cum nondum lucem adspexerit , huc minus pertinet , ubi non nisi de libris jam editis loquimur.

Neque tamen ame impetrare possum, ut beati hujus auctoris industriam publice heic ne praedicem, simulque consilium , quo hunc laborem suscepit , & ordinem, quem in eo perficiendo tenuit, brevissimis exponam. Asservat librum Bibliotheca celeberrimi viri, IOHANNIS JACOBI BAIERI, Praesidis Academiae Caesareae , Curiosorum Naturae , communibus nuper suffragiis electi , & Academiae Al-